



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Canisij industria & Sociorum tollitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

neutiquam conuenire, vetitisq; Catholicis subsidia in bellum conferre, ex Comitibus auferat se se. Hæ literæ incommodissimo allatæ tempore impleuerunt omnes solitudine, ac metu. Non enim deerant, qui confirmationem pacis anno illo 1555. initæ, quam pro cōditione optabili amplexabantur modo Catholici, aduersus Tridentina decreta esse contenderent: ac proinde fortiter agendum Legato, oblectādumq;ue, ne quid ratū fieret vnde hostibus Apostolicæ Ecclesiæ, perturbatoribus antiquarum religionum, pacata concederetur nō modò contumacia aduersus communem fidelium Matrem, sed & errorum pernicialium profeminatio. Quod si tenere non posset, tum ille constanter exposita Christi Vicarij denuntiataque sententia, ex conuentu facefferet. Imminebat haud dubiè grande dissidium eò si ventum esset. Nam summa erat rei pecuniariæ difficultas Imperatori: summus ferebatur esse in Hungariam, ac porro in Germaniam ducentium Turcarum apparatus, vt qui tali tempore subsidia ei detraheret, prodere barbaris & ipsum Maximilianum & Imperium videretur. Hoc rerum in Cardine Patres, post multas & habitas per se se, &

*Canisij in dno.
Aria & Socio-
rum tollitur.*

postulas ab sociis preces ad Deum, collato præ-
 senti tempore cum eo, quo primum pax, de qua
 agebatur, conuenta erat, quod sine controuersis
 constabat longè esse deterius, circumspectis quoque
 imminentibus periculis, & quæcunq; in causa
 essent, accurate perpensis, negotium suscipiunt de-
 monstrandi, si pax ea, quæ ad eò necessaria sit, rata
 habeatur, & confirmetur, nihil committi, quo
 cum Tridentini Concilij pugnet decretis. Quo
 cum perstudiose, perq; docte fecissent, & persua-
 sissent Legato, atq; ex eorū sententiã rē ille admi-
 nistrasset cum pace demum conuentus peractus
 est. Lucubrationes eas in urbem missas sapienter
 probarunt: nec improbare Pontifex visus est. Po-
 ro quanquam minime id agebatur, sed publicè
 duntaxat causa, tamen additamentum hoc ad
 commune bonum fecit proprie Deus Societati
 vt Cæsar de ea longe clementiorem opinionem
 indueret. Persuasum enim habebat dura, ac seue-
 ra consilia ab ea proficisci: dictitabatque Iesuitæ
 sane viros esse bonos, ac doctos, parum tamen in-
 telligere quid præsentia tempora in terris Germa-
 niæ postularent. Quod cum Apostolico Nuntio
 prompsisset, is contra edocuit, demonstrauique
 auto-

autores ipsos fuisse eius sententiæ, quæ conuentui exitum pacatum dedisset. Vnde Cæsar & toti Societati conciliatus est, & haud modicè reconciliatus Canisio: quem aduersarium sibi nominatim fingebat. Nec equidem ambigam Canisij potissimum, pro autoritate, qua apud maximos quosq; Antistitum sacrorum pollebat, studio, & labore perfectum, vt de Tridentino quoq; Concilio, quod satis visum est in præsentia, in Catholicorum confesso probaretur, atque reciperetur. Præterea cum probrosum commentarium, valdeq; perniciosum Hæretici proposuissent Catholicis, graui id, solidaq; disputatione de ceterorum Patrum sententia refutauit Canisius.

*Et Concilium
Tridentinum
à Catholicis
recipitur.*

Iniunxerat Natali Præpositus Generalis Borgia, vt septentrionales Prouincias expeditus Augustano conuentu, inspectaret. Ad eam rem cum primum licuit digressus, Canisium circumduxit, qui tanquam discipulus Magistrum obsequio summo, & obseruantia sequebatur. Quanquam se omninò perfunctum administratione Prouinciæ suæ sperabat, cum iam diu, ex quo tempore Romam ad Comitia creandi Generalis adierat, ac deinceps per Augustani conuentus tractum